

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd Petrus Mongus Zenonis Henoticum, hoc est, cōciliatricem epistolam  
recipit, & iis qui à Proterij partibus steterunt coniungitur. Cap. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

EVAGR. HISTORIAE

Quod Petrus Mongus Zenonis Henoticum, hoc est, conciliatricem epistolam recipit, & iis qui à Proterio partibus steterunt coniungitur. Cap. XIII.

**H**Vius rei administrationem Pergamius praefectus Aegypti iam designatus de sententia Acacij episcopi Constantinopolis suscepit: qui cum Alexiadriam appulisset, comperissetque Ioannem aufugisse, venit cum Petro in colloquium: suaderet, ut epistolam Zenonis Alexandrinis dedicatam, & eos etiam, qui ab ipso dissentient, admittat. Itaque Petrus epistolam, quam dixi, recipit, eique subscribit: polliceturque se eos, qui partes aduersarias sequerantur admissurum. Postea ergo cum celebris conuentus Alexandriæ ab vniuerso populo ageretur, & ad vnum omnies epistolam Zenonis de concordia admitterent, Petrus quoque eos, qui stabant à Proterio, recipit: & concione apud populum in ecclesia habita, epistolam Zenonis de concordia legit.

De Henotico quod vocant Zenonis, hoc est, conciliatrice eius epistola. Cap. XIV.

Zenonis de concordia epistola.

Zeno Imperator, Cæsar, Pius, Victor, Triumphator, Max. semper Augustus, reverendiss. Alexandriae, Aegypti, Libyæ, & Pentapolis episcopis, Clericis, monachis, & Laicis S.

**Q**uoniam pro certo scimus imperium nostrum à sincera soliditate & vera fide tuum initium habuisse, tuum stabilitum esse, tuum robur ac praesidiū, quod expugnari nequit, ex ea sum pisse (quam quidē fidem diuini numinis instinctu trecenti decē & octo sancti patres Nicæcō congregati exposuerūt, quae etiā confirmarunt centū & quinquaginta sancti patres Constantinopoli coacti) noctes diesq; non praecibus solū, sed studio omni, & legibus sanctis laborauimus, ut ea in sancta, catholica, & apostolica dei ecclesia, quæ vbiique terrarum est, quæque immortalis & sempiterna nostri principatus quasi parens est, plene perfecteque expleatur: piusque Dei populus in pace & diuina concordia perseverans, gratias acceptasque praecationes vna cum sanctissimis episcopis, & clero pietati deditissimo, & monaste riorum,